

Consilium fabricæ de his omnibus deliberat atque statuit; exsecutio autem et ipsa gestio honorum demandatur collegio matriculariorum, de quo in numero subsequenti dicemus. Consilium proinde statuit de omnibus cujusvis generis redditibus, qui Ecclesiæ parochiali obveniunt ex bonis immobilibus, censibus annuis, foundationibus, locatione sedium, oblationibus fidelium, et aliis proventibus. Ut vero jus illud exercent: 1<sup>o</sup> Decernit quotannis impensas quas necessarias, seu utiles, judicat pro instauratione sacrarum ædium, acquisitione mobilium, honorariis presbyterorum, et mercede ministrorum; 2<sup>o</sup> constituit modum quo geri debeant bona immobilia Ecclesiæ, et locari fructus qui expensas excedunt; 3<sup>o</sup> statuit de commutationibus, alienationibus, locationibus ad longum tempus, de impensis extraordinariis non prævisis, si excedant summam 100 francorum in parochiis majoribus et summam 50 francorum in aliis quæ scilicet non habent 1000 incolas; 4<sup>o</sup> deliberat de lite inferenda vel suscipienda, si opportunum sibi videatur ad tuitionem jurium parochiæ; 5<sup>o</sup> denique consilio generatim ea omnia competunt quæ excedunt fines meræ administrationis, et pro quibus, in negotiis hujus generis, tutores pupillorum indigent assensu consilii familias.

651. — VI. Collegium matriculariorum (Gallice, *Bureau des Marguilliers*) constat tribus consiliariis fabricæ, electione deputatis, quibus parochus ex officio accedit. Electio fit in sessione consilii fabricæ quæ habetur prima dominica post Pascha. Prima vice tres simul eliguntur; transacto anno, sorte designatur quis ex tribus exiturus sit; et alter e consiliariis illius loco eligitur; item desinente secundo anno; postea vero is loco cedit qui prior fuit in munere, et hac ratione singulis trienniis renovatur ex integro collegium. Idem possunt repetita vice eligi, eodem modo ac membra ipsa fabricæ. Si electio matriculariorum facta non sit tempore opportuno, id est in sessione aprilis pro renovatione annua, vel, in casu quo aliquis officium deserit, in sessione quæ proxime habetur post

vacationem muneris, devolvitur ad Episcopum. Omnes consiliarii fabricæ possunt eligi, excepto tamen quod assumendi non sint insimul duo consanguinei, nec affines in primo vel in secundo gradu, scilicet fratres, avunculus cum nepote.

Collegium semel constitutum eligit suum præsidem, secretarium et thesaurarium. Hæc diversa officia totidem membris collegii committenda sunt, quia repugnat cum natura onerum, ut idem expleat munus præsidis et thesaurarii, seu secretarii.

Parochus potest, si ad id muneris assumatur ac velit, secretarii vices agere; at contrarium videtur legi civili ut eligatur in præsidem collegii, nec suam dignitatem decet ut ministerium thesaurarii occupet. Lex civilis statuit arcam nummariam tribus clavibus obserendam esse, ex quibus una parochi, altera præsidi, tertia thesaurario committatur; si parochus esset præses, duas simul claves teneret, quod non stat cum articulo legis. Insuper parochus debet rationem executionis foundationum reddere collegio, et exhibere indicem impensarum qui accurate perpendatur in eodem collegio prius quam res deferatur ad consilium; est autem contra mentem legis, et regulis consuetis minime congruum, ut suas rationes ipse quatenus uti præses collegii discutiatur atque probet. Hinc pluries responsum fuit ab administris gubernii, parochum non posse assumi ad officium præsidis.

Præses collegii non potest secretarium agere; siquidem consignatione præsidis datur authenticitas scripturis et transcriptionibus secretarii; et generatim scripta, ut fidem faciant, debent signari simul ab utroque, a præside scilicet et a secretario.

652. — VII. Munia præsidis, secretarii, et thesaurarii collegii matriculariorum, definiuntur in lege.

Præses collegium convocat ac dirigit; habet suffragium præponderans; signum suum apponit conventionibus quæ de consensu collegii fiunt; dat mandata circa summas solvendas a

thesaurario, juxta art. 28 legis : « Tous les marchés seront... signés par le président, ainsi que les mandats. » Libros secretarii et thesaurarii consignat, et præsertim recensionem singulis annis faciendam mobilium et titulorum parochiæ; tandem tenet alteram e tribus clavibus arcæ nummariæ.

*Secretarius* collegii inscribit omnes deliberationes, item actus quoscumque foundationum, titulos jurium parochiæ, locationes, et generatim cuncta quæ a collegio præfiniuntur. Ipsius est facere recensiones seu inventaria de quibus modo, et redigere in tabulas rationem impensarum et reddituum, de quibus statuet consilium fabricæ.

*Thesaurarius* invigilat conservationi et integritati honorum parochiæ, ne servitutibus aut præscriptionibus subiaceant, ne deterioventur, aliave causa imminuantur. Procurare tenetur ut recipiantur annui redditus, aliave subsidia cujusvis generis quæ fabricæ obvenire debent. Ipsius est facere omnes expensas quæ a consilio fabricæ decretæ sunt. Providet quotidianis necessitatibus cultus publici, et mobilium instaurationi.

Quam grave onus incumbat thesaurario, sufficienter comperitur ex illa summaria rerum indicatione. Tenetur in foro conscientiæ curam sedulam impendere in negotiorum gestionem, ne Ecclesia detrimentum patiat; et graviter peccat contra virtutem religionis et justitiæ si sua culpa res fabricæ pereant. Præterea, rationem suæ administrationis, eorum nempe quæ recepit et quæ expendit, exhibere tenetur singulis trimestribus, ut plane innotescat verus status rerum; singulis autem annis rationem redditu gestionis per annum integrum. Si forte abnuerit vel ex industria distulerit reddere rationem, cogi potest a tribunalibus, prout statuitur in art. 90 decreti an. 1809. « Faute par  
« le trésorier de présenter son compte à l'époque fixée et d'en  
« payer le reliquat, celui qui lui succédera sera tenu de faire  
« dans le mois au plus tard les diligences nécessaires pour l'y  
« contraindre, et à son défaut le procureur impérial, soit d'of-  
« fice, soit sur l'avis qui lui en sera donné par l'un des mem-

« bres du bureau ou du conseil, soit sur l'ordonnance rendue  
« par l'évêque en cours de visite, sera tenu de poursuivre le  
« comptable devant le tribunal de première instance, et le fera  
« condamner à payer le reliquat, à faire payer les articles dé-  
« battus, ou à rendre son compte, s'il ne l'a été; le tout dans  
« un délai qui sera fixé; sinon, et ledit temps passé, à payer  
« provisoirement, au profit de la fabrique, la somme égale à la  
« moitié de la recette ordinaire de l'année précédente, sauf les  
« poursuites ultérieures. »

Fabrica potest persequi iudicio thesaurarium, qui culpabili negligentia, in rerum ipsi commissarum gestione, nocumentum parochiæ intulit, a fortiori qui suo munere abusus est ad suos quæstus. Non videtur tamen fabricam frui jure hypothecæ legalis super bonis mobilibus et immobilibus thesaurarii: siquidem hypotheca legalis afficit tantum bona illorum qui publica auctoritate constituuntur administratores, cum onere rationem reddendi eidem auctoritati; porro thesaurarius non constituitur publica auctoritate, et illius rationes non deferuntur ad curiam præpositam examini rationum (*la Cour des Comptes.*) Difficillimum præterea foret Ecclesiis parochialibus virum idoneum habere, qui vellet officium thesaurarii suscipere, si onus adeo grave, ac in gerendis negotiis familiæ incommodum, eidem officio connecteretur<sup>1</sup>.

635. — VIII. Collegium matriculariorum suos conventus habet singulis mensibus, et quoties expetit præses aut parochus. Hæc autem collegio committuntur :

1° Exequi curat quæ decreta sunt a consilio fabricæ.

2° Administrat bona parochialia eo circiter modo quo tutor curat res pupilli; atque ideo concludit conventiones cum artificibus et mercatoribus pro acquisitione rerum vel operibus præstandis; curat de executione foundationum; solvit honoraria vicariorum et prædicatorum qui invitati sunt pro sta-

<sup>1</sup> Cf. Gandry, t. III, n. 1158.

tionibus, item stipendia ministrorum; providet quotidiana administrationi præstando mobilia, vasa, ornamenta, cereos, panem, vinum, incensum, aliaque necessaria ad cultum divinum; nominat, ex art. 52, prædicatorem ad parochi præsentationem, quando fabrica certam summam pro prædicationibus extraordinariis assignat. (Hoc, satis absonum et a nostris moribus alienum, non observatur; electio enim et nominatio prædicatorum ad parochum exclusive pertinet, salvo jure fabricæ determinandi stipendium quod ex thesauro parochiæ erogandum erit.) Nominat et revocat, ad propositionem parochi, organicum, campanæ pulsatorem, bidellos, et cæteros qui Ecclesiæ parochiali famulantur<sup>1</sup>. Si urgeant necessitates inopinatae, potest impendere summam 50 francorum in parochiis minoribus quæ non habent 1,000 incolas, et 100 in majoribus. Aliæ impensæ majores submittebdæ sunt decisioni consilii fabricæ.

5<sup>o</sup> Custodit arcam, tribus clavibus obseratam, in qua reponitur pecunia fabricæ; nihilque exinde extrahendum est nisi de licentia collegii, adhibitis cautionibus requisitis. Custodit etiam armarium ubi reconduntur tituli omnes, et libri computorum annorum præcedentium.

4<sup>o</sup> Deliberat de certis negotiis quæ deferenda sunt ad consilium fabricæ, cujus definitione statuentur. Præcipua sunt: Budgetum, alienationes immobilium, locationes sedium, opportunitas litem inferendi vel sustinendi.

654. — IX. *Budgetum* nuncupatur status reddituum percipiendorum et expensarum, per decursum anni proxime sequentis.

Ut præparetur budgetum, parochus debet exhibere collegio indicem in quo exponantur singulatim omnes expensæ quas

<sup>1</sup> Art. 7 edicti 1825 statuit: « Dans les communes rurales, la nomination et la révocation des chantres, sonneurs et sacristains, seront faites par le curé, desservant ou vicaire; leur traitement continuera à être réglé par le conseil de fabrique et payé par qui de droit. »

necessarias reputat pro usu quotidiano, pro conservatione mobilium, et novorum acquisitione loco priorum quæ obsoleverunt. Fas est etiam cæteris matriculariis proponere quæ opportuna ipsis videntur. Hæc cuncta expendit accurate collegium, et, cum probata sunt, secretarius in tabulas inscribit, indicando ex una parte redditus qui sperantur obventuri fabricæ per anni decursum, et ex altera parte expensas, quas ordine subsequenti consignandas lex censuit: « 1<sup>o</sup> Les frais ordinaires de la célébration du culte; 2<sup>o</sup> les frais de réparation des ornements, meubles et ustensiles de l'Église; 3<sup>o</sup> les gages des officiers et serviteurs de l'Église; 4<sup>o</sup> les frais de réparations locales. La portion des revenus qui restera après cette dépense acquitée servira au traitement des vicaires légitimement établis, et l'excédant, s'il y en a, sera affecté aux grosses réparations des édifices affectés au culte. » (Art. 46 legis anni 1809.)

Consilium fabricæ budgetum, opera collegii præparatum, examinat ac statuit in conventu dominicæ in *Albis*, et deinde ad Episcopum defert ut illius auctoritate approbetur; non enim censetur obligatorium, nec executioni mandatur, antequam Episcopus illud probaverit. Si Episcopus jusserit inscriptionem aliquarum impensarum quas fabrica prætermittendas duxerat, et fabrica monitis ac mandatis Episcopi adhæreat, res acta erit. Si vero fabrica subscribere recusaverit, Episcopi erit, simul et Præfecti regionis, causam definire communicatis inter se consiliis; et in casu quo non in idem consentiant, res defertur ad ministrum gubernii, præpositum administrationi temporali cultus.

Quando redditus parochiæ impares sunt oneribus, recurritur ad municipium quod tenetur, in locum fabricæ, providere impensis necessariis, ex art. 92 decreti 1809: « Les charges des communes relativement au culte sont: 1<sup>o</sup> De suppléer à l'insuffisance des revenus de la fabrique pour les charges portées en l'art. 57; 2<sup>o</sup> de fournir au curé ou desservant un pres-

« bytère, ou, à défaut de presbytère, un logement, ou à défaut de presbytère et de logement, une indemnité pécuniaire ; 5° de fournir aux grosses réparations des édifices consacrés au culte. »

Consilium municipale non suppeditat sumptibus parochiæ, nisi sibi constet, inspecto indice reddituum et expensarum rite approbato, expensas de quibus statutum fuit reipsa urgere, et redditus parochiæ non sufficere. Si consilium municipale nolit providere necessitatibus parochiæ, recursus habetur ad præfectum. Si vero non possit, quia nimirum privatur facultatibus quibus simul subveniat necessitatibus municipii, recurritur ad gubernium quod curat ut singulis annis destinetur, in budgeto generali reipublicæ, certa summa fabricis parœcialibus juvandis. (Art. 93 et seq.)

Circa alienationes, art. 62 statuit : « Ne pourront les biens immeubles de l'Église être vendus, aliénés, échangés, sans une délibération du conseil, l'avis de l'Évêque, et notre autorisation. » Sub illa generalitate verborum continetur omne bonum immobile quodcumque sit, etiam modici valoris. Prohibitio insuper extenditur, vi alterius legis, ad census annuorum alienatio prohibetur, et probabiliter ad cessionem jurium incorporeorum. Nulla igitur atque irrita reputatur venditio, aut commutatio aliter facta quam ex consensu gubernii; gubernium vero, antequam probet fieri hujusmodi alienationem, prærequirit ut sibi exhibeatur æstimatio rei a selectis arbitris, informatio acta de commodo et incommodo, deliberatio consilii fabricæ, et consilii municipii, sententia Subpræfecti et Præfecti regionis, sententia præterea Episcopi, ut securius judicetur de opportunitate cessionis.

Lex interdixit matriculariis, non vero consiliariis fabricæ, ne rem vendendam emant, vel socios se habeant illius cui adjudicata fuerit; nam art. 61 fert : « Aucun des membres du bureau des marguilliers ne peut se porter, soit pour adjudicataire, soit même pour associé de l'adjudicataire. » De venditione mobilium

nihil statuitur in lege, quia rerum mobilium, quæ usu paulatim consumuntur, emptio et venditio sunt actus meræ administrationis quos dimittere necesse est fabricæ. Si tamen ageretur de re mobili pretiosa, recurrere oportet ad Episcopum sine cujus sententia fieri non debet alienatio.

655. — X. Quod ad *locationes* attinet, hæc sunt notanda : 1° Locationes quæ anticipatis solutionibus fiunt improbantur, quia exinde Ecclesiæ redditu annuo frustrantur. « Magnam Ecclesiis perniciem afferri solet, ait synodus Tridentina, cum earum bona, representata pecunia, in successorum præjudicium aliis locantur. » (Sess. xxv, cap. xi, *de Reform.*) Quamvis hæc dicta sint de beneficiariis, qui bona beneficii locare præsumunt cum detrimento suorum successorum, extendi etiam debent, servata proportione, ad omnes administratores Ecclesiarum, præsertim parochialium.

Quid de locationibus ad tempus diuturnum leges canonice statuerint alibi diximus (n° 625) : leges civiles concedunt ut immobilia urbana locentur ad novem annos, et immobilia rusticana ad decem et octo annos, servatis regulis juris communis pro cæteris institutis publicis. Locatio excedens tempus præfixum irrita est quoad excessum, nisi fiat de consensu gubernii<sup>1</sup>.

Omnes hujusmodi locationes sive intra tempus consuetum, sive ad tempus excedens, fiunt per licitationem et per adjudicationem, coram notario et thesaurario collegii matriculariorum.

2° Consilium fabricæ determinat pretium locationis sedium in Ecclesia, et simul modum quo fieri debeat concessio. Providendum est ne plures ex fidelibus avertantur ab assistentia divinis officiis, nimia difficultate quam experirentur in solvendo pretium præfinitum; atque idcirco pretium istud quanti æquum est constituere expedit, ratione habita status incolarum paro-

<sup>1</sup> Code des fabriques, tom. II, p. 4-20.

chia. Locum præterea reservari oportet quo egeni, et quotquot alii gravantur onere solvendi pretium, possint interesse sacris officiis et conciones commode audire.

Art. 66 decreti 1809 statuit: « Le bureau des marguilliers « pourra être autorisé par le conseil, soit à régir la location des « chaises, soit à la mettre en ferme. »

Si modus ille ultimus assignatus sit, consilium fabricæ explicat in scripto, intra Ecclesiam affigendo, conditiones conductionis, scilicet: quid conductor possit requirere a singulis personis pro diversis officiis, quæ sedilia reserventur egenis, quæ sint publica exercitia pro quibus nihil repetendum erit ex usu sedium. Contractus conductionis fiet per licitationem, in gratiam illius qui majus pretium obtulerit, et in acta publica a notario referendus erit.

Si fabrica susceperit et regat sedium locationem, aliquem præponit qui in singulis officiis pretium stipulatum percipiat, et pecunias receptas apud thesaurarium deponat. At potest etiam sedes concedere pro censu annuo, ad tempus limitatum, servatis ea de re regulis constitutis. Si concessio non excedat novem annos, fit a collegio matriculariorum ex prævia deliberatione et assensu consilii fabricæ, quin necesse sit recurrere ad Episcopum, vel ad Præfectum regionis. Potest insuper eandem concessionem stipulari ad tempus illimitatum, ea conditione ut quis jure sedem occupandi fruatur per totum vitæ suæ decursum. In hoc autem casu, sicut in locationibus quæ excedunt novem annos, requiritur, præter consensum consilii fabricæ, approbatio gubernii. Approbationem expeditam dat Præfectus pro summis minoribus 500 francorum; minister vero principis pro majoribus summis, et pro immobilibus. Sive autem concessio fiat ad tempus limitatum, sive ad vitam personæ, magnopere refert ut annuatim præstetur census; vel ut pretium semel solutum collocetur in census annuos, alioquin recedunt administratores a regulis jure canonico præfixis, et plerumque detrimentum exinde patietur parochia.

656. — Omnes consilarii fabricæ jus habent occupandi sedem in loco ipsis assignato, qui Gallice dicitur *Banc de l'œuvre*; quo jure perfruuntur quamdiu suum officium retinent. — Si quis Ecclesiam parochialem in integrum propriis sumptibus ædificaverit, potest sibi et suæ familiæ retinere usum unius sedis, aut etiam unius capellæ. Id statuit art. 72 decreti 1809, quem communiter ita interpretantur ut non omnes generatim consanguinei fundatoris hac prærogativa potiantur, sed solummodo ascendentes et descendentes. « C'est d'après cela, ait jurisperitus recentior, qu'il a été décidé que, lorsqu'une personne, « en donnant la propriété d'une Église, s'est réservé pour elle « et les siens un droit de banc, ce droit, à la mort du donateur, « ne s'étend pas indéfiniment à ses héritiers en ligne collatérale, « et qu'il fait retour à la fabrique, si ce donateur n'a laissé au- « cun descendant. » — Benefactor potest eundem favorem sibi, suæque familiæ obtinere; cum tamen lex non statuerit quandonam donum Ecclesiæ concessum, hujusmodi sit ut attribui debeat hæc prærogativa, idque pendeat a circumstantiis, fabricæ judicio et approbationi gubernii submittitur postulatio donatoris. — In cæremoniis extraordinariis ad quas ex officio convocantur qui munera publica obeunt, in ordine administrationis civilis, judiciariæ et militaris, parantur sedes distinctæ et gratuitæ omnibus qui vocati fuere.

Exceptis casibus supra præfinitis, nemo sibi vindicare potest jus habendi sedem distinctam, aut gratuitam, in Ecclesia parochiali. Consuetum est tamen ut nonnullis personis, præsertim fratribus scholarum piarum, et monialibus quæ scholis parochiæ præponuntur, concedatur sedes absque ulla pretii præstatione, quod usu retinendum est. Alios usus, aut privilegia peculiaris, quibus Ecclesia defraudatur proventu sedium, indu-

<sup>1</sup> De Champeaux, *Code des fabriques*, tom. II, de la Location des chaises et de la Concession des bancs et places dans les églises, n° 80, page 260. Auctor multa complectitur in eo articulo scitu utilia, circa jurisdictionem et praxim locationis sedium, pag. 194-505.

cere non debet nec potest parochus, nisi assentiente fabrica.

657. — XI. Superest ut nonnulla adjiciamus de ratione servanda quando fabrica versatur in necessitate inferendi aut sustinendi litem<sup>1</sup>.

Thesaurarius debet facere actus *conservatorios*, ut aiunt, qui scilicet inserviunt tuitioni jurium fabricæ, quin adhibeatur forma processus judicialis, cujusmodi sunt: postulatio debiti ad recuperationem honorum, vadimonii denuntiatio apud judicem ad ineundum viam conciliationis, vel ad impediendum præscriptionem.

Quando necessitas urgere videtur litem inferendi, præire debet deliberatio consilii fabricæ; deinde expetitur sententia consilii municipii; demum causa deferitur ad consilium præfecturæ, cujus est concedere, aut denegare licentiam litem suscipiendi; fabrica siquidem non potest, nedum litem inferre, sed nec causam quidem sustinere se defendendo coram tribunalibus nisi consilium præfecturæ, vel consilium supremum *Status*, litis susceptionem approbaverit.

Causæ deferuntur vel ad tribunalia ordinaria, vel ad tribunalia administrationis, pro natura rerum.

Causæ in quibus agitur de proprietate, scilicet de existentia, extensione, exercitio juris in re, vel juris ad rem, sortiuntur tribunalia ordinaria: sic, concertationes de proprietate census, de validitate et effectibus donationis, de servitute invocata ab aliquo privato contra fabricam aut vicissim, de exigentia aut solutione debiti, deferendæ sunt ad tribunalia, servato ordine legibus constituto quoad competentiam auditorii *judicis pacis*, tribunalis primæ instantiæ, et curiarum superiorum.

Causæ e contra in quibus in jus vocatur actus administrationis, deferuntur ad consilium præfecturæ, et, si fiat appellatio, ad consilium supremum *Status*. Hujusmodi sunt: difficultates subortæ inter fabricam et thesaurarium, an iste suas rationes

<sup>1</sup> *Code des fabriques*, tom. II, des Procès, p. 354-408.

modo legibus statuto reddiderit; inter administratores funeralium et fabricam de sensu et executioni statutorum quæ ab auctoritate competenti sancita sunt; inter parochum et fabricam, si parochus contendit gestionem fabricæ nocentum afferre parochiæ; inter privatos et fabricam de mutatione sedium vel scamnorum e loco. Hæc et similia referuntur ad consilia administrationis.

Multoties prodierunt e consilio *Status* declarationes juxta has regulas. « Les principes posés comme règle générale, ait Gaudry, se résument ainsi: toutes les actions civiles dans lesquelles la fabrique a un intérêt comme personne privée sont de la compétence des tribunaux ordinaires; tous les actes dans lesquels le conseil de fabrique agit dans la limite de ses fonctions administratives donnent lieu à des actions administratives<sup>1</sup>. »

Thesaurarius agit nomine fabricæ in prosequendo litem. Si sententia proferatur contra fabricam in prima instantia, potest provocare ad tribunal superius, quin opus sit ad hunc finem nova approbatione ex parte gubernii.

#### II<sup>o</sup> De regimine bonorum tituli parochialis.

658. — I. Titulus parochialis (*la cure*) est institutum publicum, quod jure civili acquirere potest bona temporalia. Bona tituli parochialis sunt distincta a bonis parochialibus, cum hæc destinentur ad cultum publicum in Ecclesia parochiali exercendum, illa vero ad dotationem et sustentationem titularis, nimirum parochi: quamobrem maxime refert, ut qui donationes facere intendunt per actus inter vivos, aut per testamenta, expressis verbis significant an parochiæ, an titulari, id est parochi, donare velint. In priori casu acceptatio fit a fabrica; in altero a parochi, habita prius sententia Episcopi et Præfecti, et obtenta approbatione a gubernio civili.

II. Fabrica invigilat conservationi bonorum tituli parochialis,

<sup>1</sup> Gaudry, *Traité de la Législation*, tom. III, n<sup>o</sup> 951.

prout statuit decretum 1815, art. 1 : « Dans toutes les paroisses  
« dont les curés ou desservants possèdent à ce titre des biens-  
« fonds ou des rentes, la fabrique établie près chaque paroisse est  
« chargée de veiller à la conservation desdits biens. Art. 2. Se-  
« ront déposés dans une caisse ou armoire à trois clefs de la  
« fabrique tous papiers, titres et documents concernant ces  
« biens. » Administratio autem et ususfructus eorumdem ho-  
norum pertinet ad parochum, juxta regulas generales in Codice  
civilis constitutas de usufructuariis. Non potest ea alienare,  
commutare, hypothecis gravare ullive servituti subicere, aut  
tandem locare ad tempus novem annos excedens, nisi servando  
conditiones jure præfinitas; quia hujusmodi actus possent grave  
præjudicium afferre titulo parochiali.

Expensas cujusvis naturæ ad conservationem bonorum neces-  
sarias parochus tenetur subire, excepto solum quod, ubi de  
domo presbyterali agitur, art 21 decreti citati fert : « Les curés  
« ne sont tenus à l'égard du presbytère qu'aux réparations *loca-*  
« *tives*<sup>1</sup>, les autres étant à la charge des communes. » Ut vero  
fruatur beneficio legis quoad reparationes majores, necesse est  
ut fiant prævia approbatione ac jussu auctoritatis sæcularis,  
servatis regulis præfixis; alioquin parochus, qui sponte sua  
instaurationes presbyterii exsequi mandaverit, nullum recur-  
sum haberet in municipium.

III. Titulo parochiali vacante obitu parochi, *judex pacis* te-  
netur, ex officio, omnia bona tituli consignare. Sigilla publica  
auferuntur deinceps ad postulationem hæredum, præsentem the-  
saurario fabricæ; vel ad postulationem ipsius thesaurarii, vo-  
catis hæredibus titularis defuncti<sup>2</sup>. Sublatis sigillis, fit recensio

<sup>1</sup> Quæ sint reparationes quas *locativas* dicunt, explicat art. 1754 Codicis civilis.

<sup>2</sup> Si la vacance arrivait par mutation ou par autre cause, il n'y aurait lieu ni à scellés ni à inventaire. En ce cas le trésorier de la fabrique se bornerait à dresser un récolement sur le précédent inventaire, contradictoirement avec le curé (art. 20 decreti an. 1815).

titulorum mobilium quæ pertinent ad presbyterium, et status  
ædium; si aliquid perierit, aut deterioratum sit negligentia ti-  
tularis defuncti, thesaurarius agere debet contra hæredes ut  
curent cuncta instaurari; quod expressis verbis lex civilis sta-  
tuit : « Le trésorier de la fabrique poursuivra les héritiers,  
« pour qu'ils mettent les biens de la cure dans l'état de répa-  
« ration où ils doivent les rendre... Dans le cas où le trésorier  
« aura négligé d'exercer ces poursuites, à l'époque où le nou-  
« veau titulaire entrera en fonctions, celui-ci sera tenu d'agir  
« lui-même contre les héritiers, ou de faire une sommation au  
« trésorier de la fabrique de remplir à cet égard ses obliga-  
« tions. » Novus titularis qui hæc prætermittit, in discrimen  
venit subeundi onera quæ præcedenti titulari, vel fabricæ in-  
cumbunt.

Redditus bonorum tituli parochialis, quæ tempore vacationis  
obveniunt, percipiuntur a thesaurario fabricæ, et in arca re-  
ponuntur ut inserviant gravioribus reparationibus domus pres-  
byteralis.

IV. Quando novus titularis possessionem sui beneficii suscipit,  
locus esse potest partitioni fructuum, inter ipsum et prædeces-  
sorem, hujusve hæredes.

Regula generalis est ut ratio habeatur anni integri, incipiendo  
a prima die januarii, et computentur omnes fructus, tum civiles,  
tum naturales, tituli parochialis per annum. Deducuntur impensæ  
necessariæ aut utiles pro cultura et pro seminibus quæ refundi  
debent titulari prædecessori, ne alter ditescat ex ære alieno :  
quod autem superest dividitur inter utrumque, proportionem  
habita ad partem anni qua officio parochi uterque functus est.  
Ex art. 26 decreti anni 1815 concertationes de partitione fruc-  
tuum dirimit consilium præfecturæ; multo magis decet ut ad  
Episcopum deferantur, si non potuerint ex mutuo consensu,  
nec ad arbitrium tertii, concludi<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Gaudry, tom. III, n<sup>o</sup> 1204-1214; — *Journal des fabriques*, tom. IV, pag. 337-345. Episcopus Petracorisensis ita suo clero jura indixit, mandato

III<sup>o</sup> De regimine bonorum Ecclesiæ cathedralis et sedis episcopalis.

639. — Fabrica præponitur administrationi bonorum Ecclesiæ cathedralis cum consilio et matriculariis, ut constitutum diximus pro administratione bonorum parochiæ, sed non eadem conditione.

Art. 104 decreti 1809 statuit : « Les fabriques des Églises « métropolitaines et cathédrales continueront à être composées « et administrées conformément aux règlements épiscopaux « qui ont été approuvés par nous. » Porro, ex statutis probatis, Episcopus eligit omnes consiliarios, componit collegium matriculariorum, nominat præsidem, secretarium et thesaurarium, designat tempora quibus fabrica habere debeat conventus, et ipse præsidet quoties opportunum judicaverit. Electio consiliariorum fit ad tempus statutis præfinitum; et si forte nihil ea de re provisum fuerit, censetur facta saltem ad annum, adeo ut Episcopus non debeat pro arbitrio revocare a munere quos assumpserit.

Magnum exinde oritur discrimen inter utramque fabricam, Ecclesiæ parochialis, et cathedralis. Fabrica Ecclesiæ cathedralis res sub nutu Prælati administrat, ita ut non valeat suo jure statuere, sed cuncta definienda sint auctoritate Episcopi. « Le conseil de fabrique de la cathédrale, ait D. Gaudry, est « plutôt un véritable conseil qu'une autorité ayant le droit de « décider. » (Tom. III, n<sup>o</sup> 112.)

an. 1855 : « 1<sup>o</sup> Quand il s'agit des fruits pendants ou non encore recueillis « dans un jardin ou une terre appartenant au presbytère, on se conformera « à ce que prescrit la loi civile (art. de l'usufruit) ; 2<sup>o</sup> s'il s'agit au con- « traire de fruits ou céréales que dans certaines paroisses on donne comme « casuel ou compensation du casuel, le curé partant et le curé arrivant « les partageront au prorata de la durée du service de chacun, depuis « la dernière récolte jusqu'à la récolte suivante; 3<sup>o</sup> dans le cas où il s'élè- « verait un désaccord sur l'application des règles précédentes, nous dé- « sirons que l'affaire soit portée devant le doyen qui, seul ou assisté de « deux confrères, selon le désir des parties contendantes, portera une « sentence conciliatrice qu'on acceptera en toute paix et charité. »

Ea tamen quæ excedunt fines meræ administrationis, v. g. locationes ad diuturnum tempus, alienationes immobilium, etc., Episcopus facere non potest nisi servatis conditionibus quas jure præscriptas diximus pro bonis parochiarum et habita approbatione gubernii civilis.

Si parochia uniatur Ecclesiæ cathedrali, non idcirco duæ fabricæ formantur. Una est, quæ bona redditusque cathedralis et parochiæ simul administrat<sup>1</sup>. Expediit ut redditus separatim reponantur, quantum fieri potest, ut judicari possit de redditibus, impensis et necessitatibus parochiæ, si quando recurratur ad consilium municipale. Municipium tenetur, ex dictis supra, providere necessitatibus cultus publici; non tenetur vero supplere, loco fabricæ, quæ necessaria sunt Ecclesiæ cathedrali. Hæc consilio generali regionis incumbunt, præsertim gubernio quod singulis annis præstari curat, in budgeto generali reipublicæ, subsidia necessaria tum conservationi ædificiorum diocæsanorum, tum etiam acquisitioni vasorum et ornamentorum quibus Ecclesiæ cathedrales indigent<sup>2</sup>.

640. — Episcopus usumfructum et administrationem habet bonorum mobilium et immobilium tituli episcopalis; quæ mensa episcopalis quandoque nuncupantur, quia donata sunt sedi episcopali, ut inserviant necessitatibus Præsulis.

Tituli, scripta authentica, aliaque documenta de bonis mensæ episcopalis, deposita remanent in scriniis secretariatus, unde retrahi non debent nisi de mandato Episcopi.

Episcopus easdem fere regulas sequitur in gestione, quas edictas modo diximus pro administratione bonorum tituli paro-

<sup>1</sup> Non constat an illa fabrica constitui debeat ad præscriptum decreti 1809 pro fabricis parochialibus, an uti fabrica Ecclesiæ cathedralis. Usu tamen prævaluit, ubi parochia unitur cathedrali ut fabrica erigatur juxta statuta specialia pro fabricis Ecclesiarum cathedralium.

<sup>2</sup> Qua ratione procedendum sit ut obtineantur hæc subsidia, explicat plures epistolæ ministeriales, quas collegit diarium *Journal des fabriques*, tom. III; *Code des fabriques*, tom. II, *Charges des Communes relativement au culte*, pag. 484 et seq.



chialis, et iisdem oneribus obnoxius est. Conficitur simili modo inventarium, seu accurata recensio, tum bonorum mensæ episcopalis, tum mobilium quæ gubernium assignat palatio episcopali.

Mortuo titulari, apponuntur sigilla publica, quæ deinceps iudex aufert ad petitionem illorum quorum interest, servatis regulis consuetis; et, si quid immutatum seu deterioratum, comperiatur culpa defuncti, hæredes in jus vocantur ut cuncta reponi curent in statu congruo.

Commissarius a gubernio nominatus, eadem munia obit in conservationem atque gestionem mensæ episcopalis, quæ thesaurario fabricæ demandata sunt pro gestione bonorum tituli parochialis, beneficio vacante. Bona regit usquedum alter Episcopus sedis possessionem obtinuerit, et omnes fructus percepti interea, censentur principi sæculari obvenire, ad præscriptum art. 55 decret. an. 1815, quo declaratur *jus regaliæ* retineri in imperio juxta veterem morem. Jus illud, ni fallor, ad praxim non adducitur, et fructus sede vacante percepti, servantur, deductis impensis, ad instaurationes ædium tituli episcopalis, quod æquitati naturali omnino consentaneum est. Bona quæ diocesisibus acquisita sunt donationibus spontaneis fidelium in dotationem sedis episcopalis, nullatenus obnoxia sunt juri domini reipublicæ; quamobrem non est ratio cur fructus, ex iisdem bonis collecti, reserventur principi sæculari.

IV<sup>o</sup> *De regimine bonorum capituli Ecclesiæ cathedralis et seminariorum.*

641. — Capitula Ecclesiarum cathedralium, et collegiarum rite constitutarum, possunt acquirere bona per actus inter vivos et per testamenta. Acceptatio fit a prima dignitate capituli, postquam gubernium civile, audita sententia Episcopi et Præfecti, licentiam concesserit.

Capitulum habet usumfructum bonorum omnium mensæ capitularis, quorum redditus æqua ratione in singulos canonicos dividuntur, nisi inserviant in usum communem totius capituli.

1<sup>o</sup> Deliberat in conventu de omnibus quæ ad gestionem bonorum suorum referuntur, modo præsens adsit numerus canonicorum art. 50 decret. 1815 præfinitus: « Le chapitre ne pourra « prendre aucune délibération relative à la gestion des biens « ou répartition des revenus, si les membres présents ne for- « ment au moins les quatre cinquièmes du nombre total des « chanoines existants. » Hæc autem deliberatio debet approbari ab Episcopo. Si Episcopus a capitulo dissentiat, causa deferitur ad ministrum gubernii præpositum administrationi civili cultuum. 2<sup>o</sup> Actus administrationis fiunt a thesaurario capituli qui ad illud officium designatus fuit ab Episcopo, ex duobus candidatis a capitulo præsentatis. 3<sup>o</sup> Thesaurarius omnia peragit quæ ad gestionem referuntur, nec excedunt fines meræ administrationis, ut supra dictum fuit de thesaurario fabricæ parochialis. 4<sup>o</sup> Rationes reddit, semel per annum, coram commissariis a capitulo designandis. Capitulo fas est thesaurarium a munere removeere quando opportunum judicaverit. Singulis quinquenniis nova fit electio; idem vero potest iterata vice assumi.

642. Seminaria possunt acquirere census et bona immobilia, non secus ac cætera instituta publica de quibus hactenus egimus. Acceptatio donationum fit ab Episcopo, servatis regulis consuetis.

Ad regenda bona seminarii constituitur collegium cujus præses est Episcopus, aut, vice Episcopi, vicarius generalis, et cui intersunt rector et œconomus seminarii, secretarius qui idem est ac cancellarius Episcopi, cum thesaurario a gubernio civili nominato ad-præsentationem Episcopi.

Decretum an. 1815 multa statuit ab art. 62 ad 80 quæ supervacaneum putamus referre. Hæc notare sufficiat: 1<sup>o</sup> Pecunia seminario obveniens ex redditibus annuis, ex subsidiis quæ gubernium præstat, et ex donationibus fidelium, servanda est in capsâ tribus clavibus obserata, ex quibus una apud Episcopum, aut illius vices agentem, altera apud rectorem semina-

rii, tertia apud thesaurarium manet. Tituli et alia scripta authentica simili modo asservantur. 2° Œconomus non potest impensas extraordinarias facere absque speciali scriptisque consignata approbatione data ab Episcopo, audito collegio : pro impensis ordinariis recipit a thesaurario, initio cujusque mensis pecunias necessarias juxta tabulam ab Episcopo approbatam. 3° Thesaurarius et œconomus rationem reddunt quotannis reddituum et expensarum seminarii; quæ ratio ab Episcopo probata transmittitur ad ministrum gubernii. Cætera quæ ad gestionem bonorum, locationes, alienationes, litis susceptionem, attinent, iisdem fere regulis subjacent, quas lex indixit pro fabricis parochiarum.

## SCHOLIUM.

643. — Legislationem civilem de regimine bonorum ecclesiasticorum referre opportunum duximus, ut clerici ediscant quæ in hac parte statuta sunt; utque præcaveant, qui publico ministerio addicti sunt, ab agendi ratione quæ in discrimen adduceret bona temporalia Ecclesiæ. Sed animadvertere simul debuimus eandem legislationem non consentire, sub variis respectibus, cum libertate Ecclesiæ et sanctis canonibus. Concilium Lateranense I, canone 4° statuit « ut laici, quamvis religiosi, nullam disponendi de rebus ecclesiasticis facultatem habeant, sed omnium negotiorum ecclesiasticorum curam habeat Episcopus. » Gregorius X edidit legem in concilio Lugdunensi qua prohibitum fuit « universos et singulos Prælatos Ecclesiæ sibi commissas, bona immobilia, seu jura ipsarum, laicis submittere, subjicere, vel supponere, absque capituli sui consensu et Apostolicæ Sedis licentia. » Cap. *Hoc consultissimo*, 2, DE REBUS ECCL. NON ALIENANDIS, in VI°.

Non exposcimus quidem ut immutetur ratio generalis administrandi bona ecclesiastica per fabricam : magnas certe utilitates præfert modus iste gestionis, qui in consilium advo-

cat viros selectos e parochia; expedit titularem sollicitudinibus temporalibus; simul etiam removet ab eo omnem suspicionem, seu cupiditatis, seu negligentia, in dispensatione bonorum. Consilarii, pro sua experientia in negotiis mundanis, magnam securitatem præstant, quod unicuique perspicuum est. Nec etiam dicemus principem civilem penitus abstinere debere, ne se ulla ratione ingerat in administrationem bonorum temporalium Ecclesiæ, ullo modo huic administrationi advigilet, aut de illa curet. Cum Gubernium assumpserit onus supplendi, ex publico ærario municipiorum et reipublicæ, quæ necessaria sunt instaurationi sacrarum ædium, sumptibus cultus publici, et clericorum parochiis deservientium sustentationi, præsumendum non est ut omnem curam dimittat de conservatione et alienatione bonorum quibus communitates ecclesiasticæ sibi partim sufficiunt. Cum vero ex inconcussa doctrina catholicorum, res sacræ administrationi Ecclesiæ subjaceant et Ecclesia suis juribus nulla potestate humana privari legitime possit, hæc de consensu ipsius Ecclesiæ componere oportebat; quocirca jure dicimus legislationem civilem ea de re in multis peccare, in duobus præsertim quæ sunt gravissimi momenti :

1° Lex universim statuens de regimine temporali rerum, quas etiam Ecclesia non obtinet a Gubernio sed habet aliunde, constitui debuisset de illius assensu : porro, decreta de constitutione fabricarum, et de regimine bonorum sedis episcopalis, titulorum parochialium, capitulorum, et seminariorum, condita sunt a legislatore civili, absque ullo interventu potestatis spiritualis.

2° Ratio insuper habenda erat jurisdictionis primorum pastorum in gestione bonorum ecclesiasticorum, in quo etiam deficit lex civilis. Casu, v. g., quo oritur conflictus inter Episcopum et capitulum de gestione bonorum mensæ capitularis, vel inter parochum et fabricam, lex statuit causam deferendam esse ad ministrum gubernii, cujus erit summo jure decernere inter partes contradicentes : quando necessarium videtur remove-

a munere alterum e consiliariis fabricæ, aut renovare ex integro consilium, Episcopo id solum tribuitur ut suas querelas ad ministrum principis dirigat, qui statuet quid opportunum arbitratus sit... : hæc et alia hujusmodi probare non possumus; cur enim sententia definitiva, in iis quæ gubernium non obstringunt necessitate impensas ex ærario publico subeundi, non adscribitur judici ecclesiastico, cum facultate appellandi ad superiorem in eodem ordine, scilicet ad Metropolitanum et ad S. Pontificem? Expedi solum, ut quando agitur de alienatione immobilium, vel de impensis quæ excedunt redditus ecclesiarum et municipiis imponuntur, nihil definiatur nisi ex mutuo consensu, sicut conventum est inter Sanctam Sedem et imperatorem Austriæ, in concordato cujus art. 50 fert: Bona ecclesiasticorum administratio apud eos erit ad quos secundum canones spectat. Attentis subsidiis quæ augustissimus imperator ad Ecclesiarum necessitatibus providendum ex publico ærario benigne præstat et præstabit, eadem bona vendi, vel notabili gravari onere non poterunt, nisi tum Sancta Sedes, tum Majestas Sua Cæsarea, aut ii quibus hoc munus demandandum duxerint, consensum tribuerint.»

## INDEX

### PARTIS SECUNDÆ PRÆLECTIONUM CANONICARUM

Asterico notantur quæstiones quas præcipue tractare expedit, ubi tempus lectionibus juris canonici impendendum non sinit ut ceteræ omnes exponantur.

#### PARS II

##### De Personis.

Divisio personarum in laicos, clericos et regulares. . . . . 1

##### SECTIO PRIMA.

###### DE LAICIS.

307. Qui sint laici qui juri canonico subjiuntur. . . . .	5
308. Infideles. . . . .	5
309. Catechumeni. . . . .	5
310. Fideles. . . . .	5
Quid de parvulis infidelium baptizatis statutum sit. . . . .	7
311. Hæretici, schismatici. . . . .	10
312. Quæ sint obligationes laicorum, præsertim principum christianorum erga Ecclesiam. . . . .	11
313. Quæ sint jura laicorum in Ecclesia. . . . .	12

##### SECTIO II.

###### DE CLERICIS.

314. Ordo quæstionum quæ de clericis expendantur. . . . .	14
---	----